



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

SS. Abdon & Sennen Matyres. 30. Julii

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](#)

## SS. ABDON & SENNEN MATYRES.

30. Julii

*Existim o mnia detrimentum esse  
propter eminentem scientiam JE-  
SU Christi, Domini mei, propter  
quem omnia detrimentum feci.  
S. Paul. ad Philip.*

**C**ensebantur ABDON & SENNEN, inter  
primos Persiæ purpuratos. & verò nisi  
cunæ in Patria, mors Romæ purpuram do-  
nasset. Nam quod Christiano Principe non  
indignum officium arbitrarentur, Martyrum  
esse vespilones, suisque manibus terræ man-  
dare horum corpora gauderent, vincitos De-  
cius Romam adduxit. Ibi ad tyranni tribu-  
nal steterunt auro gemmisque splendidi rei;  
sed extinguebant harum lucem catenæ ferreæ,  
quas nimiùm quantum gloriosi jactabant.  
Itaque , cùm munera ingentia promitteret  
tyrannus si ad Deos transierint, risere scili-  
cet, & ad omn iatormenta provocârunt.  
Plumbatis igitur tentati, contrà ferreos se  
præbuerunt. Inde in theatro feris objecti; sed

plau-

plausum meruere, & victa Martyribus colla  
leones submisere, feræque cicures hominem  
contra feros homines visæ defendere. Re-  
pertii interim, qui necem inferrent, gladia-  
tores. Sed & Martyres tales se probârunt,  
cùm jugulum fortiter gladio dederunt. Ex-  
tincti triduum tumulo caruere, dum Cyri-  
nus plumbeis loculis clausum aurum defo-  
dit, quod iterum deinde erutum est in lucem,  
cùm Orbi Christiano Sol suus Constantinus  
luxit. *Ex actis S. Laurentij.*

## M E D I T A T I O.

*Servire Deo, suave, non mundo.*

1. **A** Servis suis parùm requirit Deus, & illud pa-  
rùm, jucundum, utile, atque honorificum  
est, gloriosum certè est Deo servire, quandoquidem  
vel hac in vita servi Dei singulari reverentiâ coluntur.  
Ad hæc utile est, sed utilitas tota nostra est. Cum bo-  
norum nostrorum non indigeat Deus: Postremo ju-  
cundum, quod virtus rationi apprimè congruat, &  
Deus cœlestibus gaudiis suos servos perfundat. Pro-  
ba quæ dico, & brevi dices, nullum esse in divino  
obsequio labore, si comparetur cum suavitate quæ  
in illo percipitur.

2. Si verò qui mundum colunt, intolerabilem ser-  
viunt servitutem: nunquid turpe est dæmonis & cu-  
pidatum esse mancipium? nunquid vitæ solutioris  
homines sibi similes, si minus palam, certè in corde

E,

suo

luso damnant? an is lætari potest, cujus animus premitur scelerum conscientiâ, & cupiditatum procellis exagitatur? quid mundo servimus? quid mundum amamus? quandoquidem *laboriosior est hujus mundi amor, quam Dei.* Augustin.

3. Unde tamen tam multi mundo, tam pauci Deo serviunt? ex eo sanè, quod neglectis evangelii placitis, mundum duntaxat audiant, quod mortua sit multorum fides, quodque plerique pravam consuetudinem non veritatem sequantur. *Christus veritatem se, non consuetudinem cognominavit.* Tertull.

## S. IGNATIUS LOJOLA CONFESSOR,

31. Julii.

*Omnia in gloriam DEI facite.*

S. Paul. I ad Cor. Cap. 10.

**I**GNATIUS è Nobili milite Societatis Iesu Dux, animi sanitatem pedum debet vulnéri, hujus curationem D. Petro, vitæ immutationem piorum librorum lectioni, Castitatis verò donum Virgini Magnæ, quæ cum filio suo spectandam illi se dedit. Ad hujusaram, cùm opima spolia (arma sibi detracta) suspendisset inter miros pænitentiæ rigores, MARIA dictante, libellum illum Asceticum scripsit, quem ne libro satis laudes. Cùm ho-

ras